



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 18. De variis rebus per Tapensem provinciam patratis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

ventos, excusatâ præteritâ oblivione, singulos donat; quod dum facit, conspicit in navigii concavo nescio quid contextum ramis sedulo asservari, suspicatusque quod erat, fœminam & infantem cum morte colluctantes reperit: statim ergo infantem jamjam moriturum abluit: fœminam verò fotam nostris mysteriis informavit. Ex hac viginti-quinque dierum expeditione cognovit Ximenius aliquot oppida ad Tebiquarim de novo posse fundari, si copia Sociorum suppeteret. Ad suum oppidum redux, cognito, Ethnicos circumquaque incolentes annonâ laborare, ingentes ipse sementes fecit, eo fine, ut inediâ corporum premente, ad se frequentes accederent, panem animarum eâ occasione petaturi. Nec eum fefellit opinio, numerosis turmis ad eum perpetuò undique confluentibus. Subidem tempus ibidem grassata pestis supra nongentos mortales absumpsit. Ex omni verò ætate mille & triginta-quatuor capitibus initialis Sacramenti aquæ infusæ sunt.

**J**OANNES Suarius per scopulos, immitissima loca, ex Sancti Joachimi oppido etiam eò ire ausus, fame & fatigatione non semel fatiscens, numerosam Ethnicorum turmam ad oppidum reduxit: è quibus centum ægros in ipsâ excursionem sacro Fonte ablutos ad cœlos, ut spes est, statim transmisit. Aliâ in expeditione sexaginta ægris baptizatis, multos alios secum traxit suo tempore initiandos: ipse & Christophorus Arenas, per vices, uno domi remanente, nunquam sine prædâ animarum excurrerent: unde factum, ut Sancti Joachimi oppidum ex parvis principis jam ferè alias colonias numerositate incolarum æquaret. Hoc etiam anno Joannes Suarius non nescius Barbaricorum morum, quos supra retuli, sepulchro fœminæ recentè sepultæ aure admotâ, cum per lapidum congestorum foros tenuem halitum percepisset, tantam amoris lapidibus diligentiam adhibuit, ut ab volente expresserit in sepulchro Baptismi desiderium, quem post sufficientem catechesim ante mortem felicissima mulier admisit. Sanctorum Cosmæ & Damiani sedes, superiori anno erecta, ducentas supra mille familias censebat, ex quo numero hoc anno, præter benè magnam infantium multitudinem, octingenta & octoginta-quinque adulta capita digna reperta sunt, quibus Adrianus Formosus sacras undas infunderet. In Sancti Michaëlis oppido fructus hujus anni fuit, duodecim supra sexcentos omnis ætatis homines baptizasse. In Sancti Thomæ colonia sexcenti nonaginta-duo adulti, & quadringenti nonaginta & unus infantes, Christo per Baptismum accessere. Hujus oppidi incolas afflixere tygrides, eâ vicissitudine successuum, ut satis appareret immisissas ab Divinâ Justitiâ: nam postquam novendiale sacrificium, invocatâ Reginâ Cœlorum, promissâque scelerum emendatione, institutum est, feræ disparuere. Sed veteratoribus ad abjuratas artes redeuntibus, redire etiam tygrides, solitam rabiem exercentes; quæ triduo supplicio peracto rursum quidem evanuerunt: at ubi tertio recruderent vitia, dentes etiam eò avidius exeruere, quò Divina Nemesis iteratione irritatior erat; nec ante cessit plaga, quam seriam constantemque in abjuratis vitiis exercitationem adhiberent. Illud in hoc Dei flagello notabile fuit, quòd tygrides nullum discernerint, nisi aut ariolandi arte famosum, aut in avitâ superstitione pertinacem. Adde, quòd fera nulla, adhibita licet summâ curâ, & fabricatis ubique castibus, capi potuerit: ut satis constaret eas feras immisissas à Deo fuisse, tamdiu lævaturas, quamdiu novi homines puniendi materiam præbuisent. In Araricensi Nativitatis Virgineæ oppido trecentos nonaginta-duo provectæ ætatis homines, & trecentos triginta-tres infantes, Paulus Benavidius salutaribus aquis immerfit. De Baptismis in Sanctæ Annæ coloniâ factis, quia codices perièrunt, idem esto ferè judicium. Adeò ut per Tapensem Provinciam, si Baptizatos in Iesu-Mariano & Sancti Christophori oppidis, de quibus infra dicam, recenseras, hic annus inter fertilissimos numerari possit.

**I**NTER tantam felicitatem multa præter morem contigerunt gignendæ formidini obnoxia: & Socii omnia, in id quòd maximè metuebant, in Mamalucorum scilicet invasiones, non ineptè retorquebant, jamque prænuncii rumores de latronum consiliis per pleraque Neophytorum nostrorum oppida percrebuerant: quos

*Utilitas expeditionis.*

**CAPUT XVIII.**  
De variis rebus per Tapensem Provinciam patris.

*Utiliter excurretur.*

*Mulier sepulta baptizatur.*

*885 baptizati.*

*Item mille centum & octoginta-tres.*

*Tygrides ad nutum Dei faciunt.*

*Septingenti & amplius Christiani loti.*

*Et forsitan alii totidem.*

**CAPUT XIX.**  
Christophorus Mendocça captivos in libertatem asserit.